



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Detectio Nvgarvm Lvtheri, Cvm Declaratione Veritatis
Catholicae, Et Confvtatione Dogmatvm Lvtheranorvm**

Bundere, Jan van den

Louanij, 1551

De Purgatorio quàm variè sentiat Lutherus. cap. viij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35621

DE PVRGATORIO

Ondo.

Math. 26.

Luc. 22.

a. Cor. II.

Iac. 5.

ma. vnguis

Et erunt duo in carne vna, Sacramentum
hoc magnum est, ego dico in Christo & ec-
clesia. Ordinem sacramentorum neget, qui Iu-
dæorum sacerdotium inficiatur. Aaron sacer-
dos inunctus est & filij eius, Christus autem
sacerdotes instituit Apostolos in coena, dum
accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit il-
lis dicens. Accipite, hoc est corpus meū quod
pro vobis tradetur. Hoc facite in meā cōme-
morationem &cæ. de extremæ vñctionis Sa-
cramento sic ait Iacobus Apostolus. Infir-
matur quis in vobis, inducat presbyteros ec-
clesiæ, & orent super eū vngentes eum oleo
in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit
infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei.

Hic æquus lector attendat quām plenè ac
commode de septem Sacramentis à sacris li-
teris non recedētes differant catholici. Tu ve-
rō Luthere indica vbi duo vel tria duntaxat
Sacramenta legeris, & non plura posse inue-
niri.

De Purgatorio quām variè sentiat & sibiūpsi
contradicat Lutherus. C A P. VIII.

PHILOMATHES. Quid putas sen-
tire Lutherum de purgatorio?

ORTHODOXVS. Ut de cæteris fidei
nostræ dogmatibus solet, var iè, immo cōtra-
dictorie

CONTRADICTI. LVTHE. 17

dictoriè. Nempe ut ei suus spiritus quouis hidro mutabilior suggessit. Nam inter disputandum cum domino Iohanne Eckio Lipsie in arce Ducis Saxonie Georgij, ut auditoribus fidem faceret nihil sese cum Bohæmis & Pighardis sentire, veracissimum & clarissimum de purgatorio dedit testimonium. Ego inquit credo firmiter, imò ausim dicere, scio purgatorium esse. Facile persuader in scripturis de eo fieri mentionē, quemadmodum illud Matthæi inducit Gregorius in dialogis. Matth. 128 Non remittitur peccatum neq; in hoc seculo, nec in futuro, volens peccata quedam remitti in purgatorio, Admitto & illud Machabæorum secundo. 2. Mach. 128 Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis soluantur.

Item aliquando in Pighardos atrociter sic inuestitus est. Si etiam tempore apostolorum non fuisset purgatorium, ut superbit fastidiosus Pighardus. Nunquid ideo credendum est hæretico vix quinquaginta annos nuper natu, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum? Maximè cùm ipse nihil faciat aliud quām quod dicit. Non credo. Et sic probat omnia sua, & improbat omnia nostra. Non pigeat attendere quām catholice hic de purgatorio sentiat Lutherus, & quātum

D tribuat

DE PURGATORIO

tribuat fidei ecclesiæ, etiam si foret scripturis non roborata. Et quomodo reprehendit illū hæreticum, quia tota sua probatio & improbatio est, Non credo. Eodem gladio etiam te ipsum iugulas Luthere.

Deinde Lutherus factus Romani Pontificis publicus hostis, putans se inuenisse iaculum quo eum confoderet, immemor priorum suorum verborum, scripsit in libro theutonio de angulari missa. Deus est mirabilis indulgentias aboleuit, Purgatorium ignem extinxit, peregrinationes suppressit. Multosque alios Dei mammonę cultus atque idolatrias papistarum prostravit. Præterea in libro quem inscripsit, Admonitionem ad Ecclesiasticos Augustæ, inter cætera sic dicit. Quid aliud est dicere, Oportet te pro peccatis tuis satisfacere, quā istud, Oportet te Christum negare, Euāgelium blasphemare, Deum mendacij arguere, &cæ. Ex hac abominatione omnes alię venerunt, missarum sacrificia, purgatorium, peregrinationes, indulgentiæ, iejunia, cultus sanctorum, & vigiliæ. Et alibi sic loquitur. Scriptura diuina tota profus nihil habet de purgatorio, Aliquando vero tenuit quod animæ in purgatorio nō sint certe de sua beatitudine. Et iterum animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quādiu horrent

horrent pœnas & quærunt requiem, Quia quærunt quæ sua sunt, plus quam voluntatem Dei. Vide quam sit sibi hic euangelista contrarius. Vide quam non meminerit quæ dixerit vel scripserit. Modo astruit, modo negat purgatorium, modo varia de eo loquitur, ut facile intelligat diligens lector, ne micam quidem habere sanę mentis, eos qui omnia Lutheri dicta velut certissima Dei oracula colant & adorent.

De satisfactione quam secum pugnet Lutherus.

C A P . I X .

PHILOMATHES Esto, in aliquibus hallucinatus fuerit Lutherus de satisfactione, scribens in septemcipite circa quintum articulum ab ecclesia catholica non recedit, sic inquiens ecclesia mater pio affectu præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurvant flagella Dei. Sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudicium Dei.

O R T H O D O X V S Catholice quidē hoc scripsit fateor, quādo putabat hoc militare contra indulgentias, dum verò Ecclesiasticū eradicare adniteretur statum cœsuarum monasteria, collegia, missarum sacrificia, vigilias, peregrinationes

D ij